CUP 21 g.29/52



# PLUTONI,
# Reginæ Pecuniæ,
## ET
# DIIS MANIBUS
# SACRUM.

Dîras, Viator, & mali Ominis verbâ
Adfer obſtupeſcens,
Inferorum Princeps tales poſcit inferias,
Cui Perditorum Antiſtes à Sacris,
More Majorum
Devotus Numini, Majeſtatiq; ejus.
Ex *Aquilone* primum prodiit in lucem
Malorum turbo,
Patriæ ſuæ Peſtis, & Περίψημα,
Famoſiſſimi Perduellis *Wariſtonii* Nepos,
Cui & Vultu, & Moribus ſimillimus eſt;
Omnium horarum homo,

Omni-

Omnium Religionum,
Fatalem expectans nodum, quo ſolo tenendus eſt.
In Sinu Eccleſiæ fotus
Matrem penè enecavit
Gratiſſimum Animal.
Præceptorem, qui primis eum imbuit literarum rudimentis,
Non Stylo, ſed Calumniis
Læſæ quaſi Majeſtatis reum
Tantùm non ad reſtim detruſit,
Ipſe indies Carcere digna auſurus.
Tribunal Concionatorium Præcox, & prematurus invaſit,
Juvenis ad Eccleſiam perdendam prodiens;
Annos vix viginti natus Reverendiſſimos Scotiæ Præſules
Cenſor iſte Morum in jus vocavit,
Aulicos quaſi, & Adulatores,
Ipſe interim Ambitionis vile Mancipium,
Libris in lucem emiſſis Gloriam aucupans,
Peculatûs literarii callidus Simulator.
Tandem patriis Laribus ei ob Crimina infenſis,
In Cœlum tranſiit mitius,
Sub Angeli Lucis larvâ teterrimus Dæmon,
Sub veſte Prophetæ malus Genius,
Domini ſui & Patroni Proditor,
Dein ſacroſanctæ Regiæ Majeſtatis,
Eccleſiæ poſtremò,
*Judæ* Traditoris ſuccedaneus,
Venalis Anima, cui merces maxima fas fuit.
Scriptis notus, & facinoribus,
Nec Veritati conſtans, nec ſibi ipſi,
Niſi credendum eſt, verſipellem, & vafrum
Nunquam non ſibi conſtare.
Dum, quicquid auſus eſt, in rem ſuam facit,
Nec ei malè olet lucri vel ex ſterquilinio odor.
Tandem ſubolfecit Rex ſagaciſſimus
Fœtidos Monarchomachorum Mores,
Quos ſequebatur Ultor à tergo Deus,
Hos inter Presbyterum profugum,
Qui ad ſævius ſupplicium reſervatus
In exteras ſe contulit Regiones;
Sed Cœlum mutans non mutavit Animum,

Ubiq;

BRITISH LIBRARY

15-7-89

Ubiq; ictus, ubiq; laniatus
Conſcientiam torquent,
Cujus tædium fruſtra conatus eſt fallere.
*Galliam*, *Italiam*, *Helvetiam* peragrans;
*Belgium* tandem petiit,
Opinionum ſentinam,
Regii nominis hoſtem nullo modo placandum,
Cui pro Pietate lucrum eſt.
Illic famoſis Libellis in Patris Patriæ caput
Debacchatus eſt,
Et Plebi, cui promptum eſt odiſſe Superiores,
Propinavit Venenum;
Donec, Deo ~~in nos~~ irato, rediit in *Angliam*, nobis
E Procella ſervatus ipſe dirior Tempeſtas;
Sed ex undis ereptus eſt ad flammas ultrices,
*Nemeſi*, *Alaſtori*, Furiiſq; devotus.
Ubiq; gentium ditiſſimam Chriſti Eccleſiam errabundus quæſivit,
Ut in gremium illius involaret,
Nullibi invenit, niſi in Cathedra
Beati *Oſmundi*.
Euge! *Fœlix* Εὐγε! Εὐγε!
Exul, invito Rege, domum redit,
Non ad Pœnam, ſed ad Præmia capeſſenda,
Traditor, non ad furcam, cujus damnas fuit,
Sed Epiſcopale faſtigium elevandus,
Ut tandem in Gemonias lapſu ruat graviore. 1. Scalas
Pro ter decem denariis Salvatorem Cruci dedit *Judas*,
Ter mille libris annui cenſûs ob Regem ſuum
Regnis exutum ditatus *B*——
In Civitate Epiſcopali juventum Collegium inſtituit,
Ut ſi quando in malam rem abiret, Eccleſiæ de peſtibus provideret;
Nec intra limites Diœceſeos ſe continet
Hic Præſul Presbyterianus,
Preces publicas, ſacrumq; Epiſcopalem ordinem Schiſmati litaturus;
Haud enim magnum eſt in Principes ſævire, niſi & Deum laceſſat.
Quamdiu, O juſtiſſime Judex, adorabitur proſcriptus?
Dominabitur Exul?
Quis Funem?

Sed

Sed magnis criminibus debetur infamiæ Æternitas,
Et ob hoc præcipuè admirandus est scelestus,
Quod, in cineres redacto cadavere,
Facinorum Ignominia transivit in Annales
Nunquam moritura,
Dum immortales Anima luit in Orco pœnas.
Salveant Dis Pater, cæteraq; Inferni Numina.

FINIS.

BRITISH LIBRARY
1095.k.15(9)